
NOTITIÆ BIOGRAPHICÆ NECNON ET BIBLIOGRAPHICÆ

DE SANCTIS PONTIFICIBUS ROMANIS

MARCELLINO, MARCELLO, EUSEBIO, MELCHIADE,

ET DE RHETICIO ÆDUENSI EPISCOPO.

SANCTUS MARCELLINUS PAPA.

§ I. — *Quando et quamdiu sederit.*

Eusebius hunc papam annis novem Ecclesiam gubernasse tradit, atque ejus mortem in Chronico ad annum Christi 304 refert. Ita ille annos octo cum uno inchoato pro novem computans, cum Bucheriano catalogo consentit, in quo legimus: « Marcellinus annis viii, mensibus iii, diebus xxv, fuit temporibus Diocletiani et Maximiani ex die pridie Kalendas Julias, a consulibus Diocletiano vi et Constantio ii, usque in consulatum Diocletiani ix, et Maximiani vii. Unde sequitur ut Marcellini electio seu ordinatio anno 296, Junii xxx die, adeoque feria tertia; ac mors anno 304, Octobris xxiv die consignandæ sint, licet festum ejus plerorumque martyrologiorum auctoritate xxvi Aprilis die celebretur.

§ — II. *De antiqua fabula qua Marcellinum idolis thus obtulisse vulgatum est.*

1. Marcellinum idolis thus obtulisse ac sacros libros tradidisse, jam ab Augustini ævo fama erat. Ejus auctores suspicatur is sanctus Doctor recentiores Donatistas. Ac primo quidem figmenti hujus falsitatem, lib. *de unico Baptismo*, contra Petilianum, cap. 16, n. 27, inde probat, quia nullo teste, nulla monumenti cujusquam firmitate fulciatur. « Quid ergo, inquit, opus est ut episcoporum romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est (Petilianus), objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri ejus Melchiades, Marcellus et Silvester traditionis codicum divinorum et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed num-

PATROL. VI.

A qua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Ex quibus Augustini verbis cuique exploratum est, idem crimen non in Marcellinum solum, sed etiam in presbyteros ejus Marcellum, Melchiadem et Silvestrum, qui ipsi postea successerunt, fuisse intentum. Si ergo illi omnino insontes atque hujus sceleris puri; neque magis reus videri debet Marcellinus. Et hoc quidem nobis indubitatum erit, ubi calumniæ hujus causam et originem perspectam habuerimus.

2. Hanc prodit subinde Augustinus, cum fabulam illam ideo a recentioribus Donatistis excogitatum fuisse innuit, ut judicii, quo a Melchiade damnati fuerant, invidiam declinarent. Sed quid opus erat eis una cum Melchiade Marcellinum pontificem, necnon Marcellum et Silvestrum presbyteros infamare? Nimirum ut probabilior fieret ipsorum calumnia. Quocirca excogitandum eis fuit tempus quo thuris oblatio et sacrorum codicum traditio in Urbe exigebatur, simulque fingendum eos, qui in clero romano tum eminebant, in eandem impietatem fuisse abductos. Nam si de uno Melchiade hoc pervulgassent, quis crederet tantum crimen inultum relinqui potuisse? At credibilior sit hæc impunitas, cum et ipse, cujus erat punire, et qui proxime post ipsum præsent, ejusdem sceleris conscii sunt. Augustinus vero loco citato novos Donatistas mendacii firma illa ratione convincit, quod majores illorum, seu ante, seu post Melchiadis judicium, de illo crimine ne cogitarent quidem. « De quo, inquit, judicio cum majores istorum importunissima pervicacia memorato imperatori (Constantino) quærentur, quod non plene nec

1.

recte fuerit examinatum atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cuius audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potius ante suggerentes imperatori, aut ut suggereretur instantes, quod apud traditorem codicum divinatorum et idolorum sacrificiis inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergo nec ante suggesserint, nec postea quam contra eos pro Cæciliano iudicatum est, saltem victi et irati objiciendum putarint; quid nunc inanes tam sero connectunt calumnias? Quis etiam sibi persuadeat tam publicum crimen ad Petiliani usque tempora ignotum atque sepultum permansisse, aut si non latuerit, tres presbyteros tanti criminis reos in primam Ecclesiæ sedem, nullo reclamante, assumi, et christianissimi principis fidem ac benevolentiam conciliare sibi potuisse? Fide dignior est Theodoretus, qui, lib. 1 Hist. Eccl., c. 5, « Marcellinum in persecutione inclaruisse » testatur: « Μαριελλίνου τὸν ἐν τῷ διωγμῷ διαπρέψαντα; » quod ita interpretari licet, ut is persecutionis tempore digne et laudabiliter se gesserit, vel etiam ut ipse persecutionem fortiter perpressus, magnam sui nominis existimationem reliquerit.

3. Hinc funditus ruunt Sinuessani concilii acta, quibus, præter rudem eorum et impolitam locutionem, multa absurda, quedam secum pugnantia, alia cum dictis Petiliani, qui Marcellum, Melchiadem et Silvestrum thurificasse objectabat, non consentientia, necnon putidum atque iteratum summi pontificis, qui et mox martyrio coronandus ponitur, mendacium, et alia huiusmodi quam plura omnem adimunt auctoritatem. Hujus tamen concilii acta, quæ cum suppositiis Silvestri et Nysti gestis in uno eodemque perantiquo codice Colbertino Langobardicis litteris exarato exhibentur, et, ut ex cognatione atque consensione styli iudicare licet, eundem habere videntur parentem, ad veterum exemplarium fidem, quæ in novissimis conciliorum editionibus minime servata est, infra recudemus, necnon et duas epistolas, quas Isidorus Mercator Marcellino supposuit.

§ III. — *Vulgatæ synodi Suessanæ seu Sinuessanæ de Marcellino papa gesta.*

I. *Urbani et Marcellini altercatio.* — 4. Diocletiano et Maximiano Augustis, cum multi in vita sua mentis suæ aspersu vacillitate mentiebantur origine dicentes, quod deorum superstitio vanitatis super sex sentirent, et ad sacrificandum eodem tempore multi inducerentur per pecuniam, ut thurificarent diis: Marcellino itaque urbis Romæ episcopo quidam

A nomine Urbanus, qui erat pontifex Capitolii, et repletus multitudine malitiæ cœpit cum eo habere altercationem de thurificando diis; et dicens ad Marcellinum urbis Romæ episcopum: « Si Christus vester, quem dicitis natum de virgine Maria, quid apud semetipsum prima luce missi Magi ab Herode obtulerunt ei munera? quæ? aurum, thus et myrrham, id ut scirent sacerdotes, per quid placarent hunc, quem dicitis resurrexisse et sedere super. » Dicit ei Marcellinus episcopus: « Non obtulerunt ei, ut sacrificarent vanitati; sed ideo, ut Deum ac Dominum altissimum eum, quem negabant, ostenderent. » Urbanus ad eadem respondit, dicens: « Una nocte simul adstemus ante domnos imperatores invictissimos Diocletianum et Maximianum atque clementissimos principes, et dabo tibi quæstionem de thurificando. »

2. Venientes autem die, quod dicunt Vulcanibus, dicit ei Urbanus: « Faciamus hinc et inde duas chartulas, quasi incrementa petitionum, et afferamus clementissimis principibus. » Fecerunt ambo simul, sicut dixerat Urbanus, et venientes ad sacratissimos principes offerebant eis. Marcellinus itaque, urbis Romæ episcopus, fidem servans, Christum prædicans, dicit ad principes: « Quid mihi et vobis, principes terribiles universo mundo, quoniam vana est superstitio thurificandi? » Dicit autem Urbanus: « Loquere ad nos ac contra pontifices clementissimi atque invictissimi (clementissimos atque invictissimos) principes, quoniam deum Jovem et invictum Herculem corporei fabricantur, et Jovem quem dicimus cælum, terram mareque simul cum Saturno menstruantem? Quare ergo hoc Marcellinus pontifex sicut et ego non thurificat majestatibus? » Dicit itaque Diocletianus: « Non execrare hominem hunc, quoniam nostræ clementiæ non difficultat, exhibet inflammari; sed ejus consilium accipiamus utrumque (uterque), quoniam non probavimus nostræ serenitati esse obscurum, nec contra deos immortales dare sententiam. » Romanus itaque et Alexander secreto dixerunt Diocletiano: « Si hunc, domine atque invictissime princeps, consilio tenueris blandimentis, omnem urbanam plebem habebis in unitate conservare, et gentes per sacrificia fidelissima objurgare. »

II. *De thurificatione Marcellini.* — 3. Dicit autem Diocletianus ad Marcellinum, episcopum urbis Romæ: « Video prudentiam tuam, quoniam magna est, ut nostra sit amicitia, quæ diis et universo mundo sit (forte fuit) inimica. Veni itaque, et loquentiam tuam nostro facias incrementum favori. » Veniens autem

ANNOTATIONES.

I.—*Super sex sentirent.* Unus e mss., *Adpersi mentis suæ vacillitate mentiebantur, origine dicentes, quod deorum superstitio vanitatis super se sentirent.* Horum autem gestorum corrector hunc locum sic emendare conatus est: *Mentis suæ facilitate aspersi, deorum mentiebantur originem, dicentes quod de eorum superstitutione vanissima sentirent.* Nonne legi posset.... dicentes quod deorum superstitutionem vanitatis expertem esse sentirent?

Adstemus. Notandum illud, quo altercationis Urbanum inter et Marcellinum initiæ arbitri deliguntur Diocletianus et Maximianus.

Difficultat. Hoc est, non resistit, dedecet excandescere: horum autem corrector sic restituit: *quoniam nullam nobis difficultatem exhibet qua offendantur: ex quo quanta sibi in verbis ac sententiis mutandis permiserit, perspiciere est.*

ad templum Vestianum et ad Isidem, introduxit episcopum. Qui dum introissent, erant cum eo duo diaconi Gaius et Innocentius, et tres presbyteri Urbanus, Castorius et Juvenalis. Dum vidissent eum introentem, non tamen mittentem et thurificantem, fugerunt hi omnes ad compresbyteros, et invenerunt eos in Vaticano palatii Neroniani, et dixerunt rem quam gestam vidissent. Euntes autem multi Christiani penus veritatis exemplum abierunt, et videntur eum mittentem et thurificantem, et factum amicum principum. Qui abierunt ab eo, ut testimonium veritatis exhiberent, isti sunt: Bonosus, Maximus, Carpilio, Cyprianus, Olympius, Priscus, Hercules, Androphemus, Benenatus, Epiphanius, Crispinus, Victor, Theodolus, Alexander, Romanus, Bajulus, Quiriacus, Theodolus, Caritosus, Omitazio, Honoratus, Crescentio, Maximus, Probinus, Urbicus, Concordius, Neapolus, Refrigerius, Sebastianus, Calpurnius, Julianus, Epiphorus, Crispianus, Habetdeum, Crescens, Rapula, Cyprianus, Abenlius, Exquiro, Orphitus, Venerius, Carpulianus, Constantius, Ursus, Valentinianus, Priscus, Severus, Probius, Faustus, Antonius, Quirillus, Albulus, Pulsanor, Homohonus, Caritto, Tespius, Marinus, Fabius, Crispinianus, Herculentius, Petrus, Nonnosus, Honestulus, Auriclianus, Impeditus, Furinus, Domitianus, Agapitus, Himulus, Capillatus, Nepotianus, Concordius, Bonifacius, Reparatus, Jugundinus, Auxentius, Cyprius, Bonushomo, Corporalis, Sallustius, Origanus, Venerosus, Abundius, Tinulus, Major. Hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent videntes eum Marcellinum thurificasse.

III. *De synodo in qua Marcellinus thurificasse se negat.*—4. Factus itaque synodus, non tamen collecti sunt in integro sacerdotes, quia curriculum urgebatur persecutionis. Veniens autem episcopus Marcellinus, negabat se thurificasse. Nam dixit et hoc, sententiam proposuit, quia dimiserunt eum qui cum eo esse videbantur in eodem loco presbyteri Urbanus, Castorius et Juvenalis, et diacones Gaius et Innocentius. Synodus autem universus hoc dixerunt cuncto iudicio: « Tu enim eris iudex; ex te enim damnaberis, et ex te justificaberis: tamen nostræ

A præsentia. Illud vero dum veneris ad iudicium tuum, ex te damnaberis, et ex te justificaberis; tu enim iudex, tu reus. Presbyteri autem vel diacones, quoniam pontificem qui eos creavit in ordine presbyterii vel diaconatus honore, et dimiserunt aream, et evacuaverunt horreum, ad probandum, amisso ordine, intrent examen, quoniam evacuaverunt horreum. Debuit enim pontifex mori cum quinque (supple, potius) quam vivat suo iudicio condemnatus. Introivit autem universus synodus in crypta Cleopatriense in civitate Sessuana (ms. Sensuana), et quia non multitudo referebatur in crypta, synodi quinquageni introibant.

IV. *Damnatur Urbanus, Castorius ac socii.*—

5. Prima autem die synodi introierunt hi damnantes Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, et diaconos Gaium et Innocentium. Hi sunt qui introierunt episcopi, audientes, non tamen iudicantes pontificem, Petrus, Castorius, Habetdeum, Castinus, Victor, Felicianus, Parterius, Majorinus, Castalius, Laurentius, Paulus, Bonosus, Felix, Firminus, Spe-sindeo, Tranquillinus, Anastasius, Castinus, Victor, Beneservandus, Joannes, Epiphanius, Castus, Yacinthus, Herculanus, Sabinus, Orfitus, Gaudiosus, Reparatus, Amplexus, Cyprus, Fortunatus, Quadratianus, Sebastianus, Cyprianus, Pascasius, Innocens, Valerius, Servulus, Cerasianus, Constantius, Quintilianus, Montanus, Catellus, Polycarpus, Athanasius, Hermias, Nepotianus, Petrus, Aristonicus. Hi introeuntes in crypta propter metum augustorum, uno ore quasi triceni, uno die ejus consilio iudicantes, et damnaverunt Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, et diaconos Gaium et Innocentium, qui evacuaverunt horreum, et dimiserunt aream apertam, ut introiret immundus, et comederet triticum. Ipsos etiam damnaverunt.

6. Et iudicabant, non tamen iudicabant pontificem: quia hoc ex uno ore erant corroborati, ut intra hos LXXII testimonia ipse iudex, ipse reus, ipse semetipsum ea (f. in) præsentia eorum innocentem se servaret, et infidelem se damnaret; quoniam in LXXII libra occidua reparationem resurgit annus. Hanc itaque gesta miraculum, ut introiret de testi-

ANNOTATIONES.

II. — *Vestianum et ad Isidem.* Ita mss. Colb. non D autem *Vestæ et Isidis.*

Penus. Sic ms. Colb. Alii vero *penes* vel *per.* Mallemus *specturi* ceu *spectaturi veritatis exemplum.* Horum loco substituit corrector, *propter veritatem ad templum.*

III. — *Factus itaque synodus.* Contra hanc synodum objectari solet, quomodo, persecutione sævissima flagrante, trecenti episcopi congregari potuerint, ac modicum oppidum, in quo fieri non poterat, ut tot externi laterent, delegerint? Quæri et illud potest, quis tot episcopus vocavit, ejus jussu Marcellinus Sinuessam adductus sit, quis huic synodo præfuerit? Sane episcopis, qui anno 502 Romæ in causa Symmachi papæ convenerunt, ignotam fuisse hujusmodi synodum, ex iis quæ tum dicta gesta que sunt, manifestum est.

Amisso ordine. Quid est quod presbyteri illi, prius

quam subeant examen, *amisso ordine*, dicuntur honore destituti? Quodnam eorum crimen, ut hac pœna plectantur? Nihil aliud eis objectatur, nisi quod, Marcellino dimisso, a thure diis offerendo se continuerint. Sed horum gestorum artifex, qui clerico eum, a quo ordinatus est, accusare minime licere voluit, ut in aliis actis ex ejus officina prolatis videbimus, hac forte pœna eos dignos censuit, quia Marcellini creatoris sui accusandi occasionem præbuerant.

IV. — *Libra occidua.* Additur hic *occidua* ad discrimen *orientalis*, quæ 74 solidis constabat. De libra 72 solidos continente sit mentio cod. Th., l. XII, tit. vi, leg. 15.

Reparationem dedit. Hæc ita emendare nisus est corrector: *In reparationem* (forte legendum *reparatione sublato in*) *resurgit annus. Hoc quoque factum est novi, ut introiret unus de testibus, qui cum*

monia talis unius uxoris, filios habens, sicut et hic qui habet uxorem et filios, adulteravit super uxorem, et dedit uxori repudium. Et introierunt alii decem et alii tres dicentes : « Nos te vidimus mittentem et thurificantem Herculi, Jovi et Patusino. » Dicit autem Marcellinus : « Quo die ? » Respondit unus eorum, et dixit : « Quo die excidisti (exuisti) purpuram, et induisti coccum, et gaudebat super te Diocletianus, eo quod satis paulo ante negabas, et ante ejus tribunal thurificabas. » Athanasius episcopus dixit : « Ita sunt quæ testantur isti ? » Et respondit Petrus episcopus, et dixit : « Loquere et pontifex (f. tu pontifex), et judica causam tuam. » Et subscripserunt quinquaginta episcopi qui supradicti sunt in quatuordecim viros, qui ex uno ore loquebantur de duo et septuaginta, et firmabant iudicium.

V. *Presbyteri Rom. damnationem Castorii et sociorum ratam habent. Marcellini causam discutunt alii quinquaginta episcopi.* — 7. Alia autem die venerunt tres et viginti presbyteri urbis Romæ, et in eorum iudicio Urbani, Castorii et Juvenalis presbyterorum, et Gaii et Innocentii diaconorum damnationem integram perspexerunt, ipsi de suo ordine justitiam tenuerunt dicentes : « Amisso ordine negent se esse horumque socii Ecclesiæ. »

8. Venientes autem post secundum diem post damnationem presbyterorum Urbani, Castorii et Juvenalis, Gaii et Innocentii diaconorum, venerunt alii quinquaginta episcopi, et introierunt in crypta, ut tertia pars synodi compleretur. Et dum ingressi fuissent in crypta propter tempestatem temporis, introivit et Marcellinus urbis episcopus, cum adhuc itaque nomen tenens episcopatus, nondum enim fuerat damnatus, nisi numerus secundum ordinem synodi libræ (Colb. ms. libra) probaret exemplum. Introivit

A autem Castinus, Bonus, Quiriacus, Dominicus, Alexander, Venerosus, Felix, Joannes, Crispus, Deusdedit, Honestatus, Majorianus, Vita, Carpurianus, Anastasius, Petrus, Crescentio, Dominus, Ursus, Agatho, Honestatus, Marcus, Urbanus, Valentinus, Sallustius, Crescens, Firminus, Spectator, Sebastianus, Ultius, Benenatus, Tristator, Servus, Marcus, Montanus, Asterius, Anthimus, Placentianus, Ambrosius, Quirillus, Andreas, Philippus, Magnus, Exsuperantius, Adrianus, Petrus, Gorgonius, Simplex, Victor, Venerosus. Introibant autem in crypta.

VI. *Suo eum iudicio permittunt, et quinque clericorum damnationem approbant.* — 9. Respondit Anastasius et Anthimus episcopi, et dixerunt : « Tuo ore judica causam, non nostro iudicio; solve conditionem. » Respondens autem Sebastianus episcopus dixit : « Noli in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, et introduce testes, ut testificentur veritatem : quoniam ex te justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis; quoniam recte anticipantes nostri et coepiscopi damnaverunt, sicut et nostro ore petimus uno consorti iudicio damnari, Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, Gaium et Innocentium diaconos : quia heri ex spelunca frugerunt (fugerunt), et tepefactum hi dimiserunt, amisso ordine, intrent examen : quoniam omnes tegulæ, dicit Petrus episcopus, dum tultæ fuerunt de fornace, jam coctæ iterum coquantur sole, et pluvix in eodem probantur, ut sint super habitaculis hominum. »

VII. *Marcellinum thurificasse probatur. Superinducuntur quatuor et quadraginta novi Testes. Ipse se damnat Marcellinus.* — 10. Mora autem non faciente (f. patiente), ut in damnationem eorum interdicatorum subscriberent hi quinquaginta episcopi,

ANNOTATIONES.

et uxorem haberet et filios ex ea, ipse tamen illi sprete adulteram superinduxit, et dedit. Hujusmodi lectionem a veterum codicum littera sic abhorrentem quis accipiat? quis ferat? Neque a littera solum, sed et ab auctoris mente eam procul abesse prope indubitatum est. Non enim is fuit horum gestorum artifex, qui in gravissima causa, ad quam duos et septuaginta testes desideret, eum primum proferret quem cum sæculi, tum Ecclesiæ, leges a testimonio dicendo arcent. Anianus, codicis Theod. interpres, in legem 42, tit. 1, l. 1x, edicit : *Periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcumque professio*; et in legem 49 : *Jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminis esse confessus est.* Prædicat et Augustinus in psal. xxxvi, conc. II, n. 22 : *Reus reum non facit.* Africani quoque canones Cod. eccl. Afr., c. 129, præcipiunt : *Ad accusationem non admittantur omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt*; et cap. 8, sanciunt : *Ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majorem natum non habeat accusandi*; et c. 49, volunt : *Ut si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur.* Ne quis tamen dicat hæc de accusatoribus, non de testibus constitui, memorandum est quod ejusdem codicis capite 131, decernitur : *Testes autem ad testimonium non admittendos,*

qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt. Nos vero ad commendationem potius testimonii dictum putamus, quod primus ille testis et unius uxoris fuerit, et filios habuerit : maxime cum ab eodem auctore in constituto Silvestri, n. 6, audituri simus : *Non condemnabitur subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, nisi in septem testimonia filios et uxores habentes, et omnino Christum prædicantes.* Igitur priora textus nostri verba resarcire rectius ad mentem auctoris sic liceret : *Hæc itaque gesta miraculo (seu non sine miraculo), ut introiret de testimoniis (seu de testibus) tuis unius uxoris, adeoque aptus ad eum pudore afflictiendum, qui se spiritali adulterio commaculasse dicitur.*

Herculi etc. Cum superioribus, ubi Marcellinus in Vestæ et Isidis templum inductus prædicatur, hoc pugnare Baronius observat; cum in templis deorum iis tantum diis, quibus dicata essent, sacrificare mos esset. Quocirca Marcellinus Isidi et Vestæ, non Herculi, Jovi et Patusino sacrum fecisse dicendus erat.

VI. — *Tultæ.* Emendator substituit *cultæ*. Retinendum *tultæ* a verbo *tollo, tuli, tultum* : nec desunt apud sequioris ævi scriptores hujusce usus exempla. Sed neque placet quod idem corrector paulo ante maluit *sæpessatum*, loco *tepefactum*, cum hoc verbum tegulis, quæ iterum coquantur, magis congruat.

ut, amisso ordine, introirent in synodum, ecce introierunt et quatuordecim testes, qui dicebant se Marcellinum vidisse thurificantem. Respondit unus episcopus nomine Sallustius: « Dicite coram veritate. » Respondit Petrus, et dixit ad Marcellinum episcopum: « Jam audi, pontifex, et judica causam tuam: quoniam ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis: quoniam omnia membra sana esse non possunt, si caput mæstavit. » Respondit Marcellinus, et dixit voce clara: « Non diis sacrificavi, sed tantum grana levatis manibus pruna combussi. » Levaverunt se omnes quinquaginta præsules episcopi, dicentes ad quatuordecim testimonia: « Quid vidistis hunc facientem? quod ex ore suo testatur quasi uno ore dicentes. » Et subscripserunt omnes quinquaginta in quinque testimonia quatuordecim virorum: ita ut octo et viginti complerentur cum anticipatis. Unus autem de episcopis, nomine Quirinus, dixit: « Infudisti cor tuum, pontifex, malitia, quod decem et octo annis sic caveras castitate; præsul vulnerasti universa membra tua: propterea ego non recedam de omni introitu synodi: omne purpureum cor tuum. »

11. Alia autem die constituerunt hi ducenti episcopi, ut quasi et ipsi introirent quinquageni in synodum. Et facta collocutione in uno cum hos anticipantes centum sederunt in eadem civitate omnes ex uno examen trecenti, et alligaverunt et damnaverunt hos, Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, Gajum et Innocentium diaconos. Respondit Sebastianus episcopus: « Hoc tribunal nostro sermone, nostro chirographo, nostro eloquio, nostro auxilio, nostra constantia et veritate fixa et præclara dispositione auditionis exhibemus legamen. Non enim nostro ore justificaberis, aut nostro ore condemnaberis, quoniam sue tunicam tuam in te, quam paulo non induebas sutam, modo excisam sue ex corde tuo

A et ex manibus tuis, involvere in peccato tuo, Marcelline, expontifex Romæ. » Respondit Urbanus episcopus ad Sebastianum episcopum et dixit: « Introducantur testes viri viriliter numero quatuor et quadraginta ut libra occidua compleatur a multis, quod a multis fabricatum est. » Et introierunt testes Tranquillinus, Priscus, Bonus, Servulus, Cyprianus, Petrus, Quadratianus, Aresto, Tespius, Quadrus, Epiphorus, Maximus, Gordianus, Gaudiosus, Saturninus, Urbanus, Reparatus, Priscus, Venerosus, Romanus, Exsuperius, Crispianus, Barbarus, Leo, Forianus, Bacauda, Ambrosius, Terula, Johannes, Jubenius, Proculus, Octavianus, Romanus, Valerius, Iacynthus, Mellicianus, Petrus, Claudius, Exper, Probus, Nicorus, Probatianus, Ursinus, Urbatianus.

B 12. Singulis autem adstantibus in gremio trecentorum episcoporum et triginta presbyterorum Romanorum, et viginti octo supradicti testes, ut libra compleretur: quoniam duodecim uncie in libra probabitur sensus, et in septuaginta duobus comparatus damnabitur præsul. Respondit Quiriacus episcopus, et dixit ad Marcellinum: « Non cognoscis universum velamen cordis tui (Vid. acta de purgatione, Xyst. III, n. 4): judica enim causam tuam, et lacera, macera macerationem tuam. Non ex nobis judicaberis: tuo enim pontificio condemnaberis, et nostro testimonio explicaveris metas: quoniam nos in condemnationem nihil opponimus causale, nihil defendimus: sed damnamus hos, qui evacuaverunt templum, et dimiserunt fabricam manu de super constructam, ut introirent lupi, et facerent speluncas, et comederent agnos immaculatos, et eos qui ex vetere ad novum venerant, inveterarent. Te enim non condemnamus, quoniam ex ore [tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis.] Marcellinus autem in conspectu synodi] cecidit in terra. Ibi autem jacens, et ibi eo mora faciente, damnaverunt. Synodus autem et presbyteri triginta

ANNOTATIONES.

VII. — *Non sacrificavi... combussi.* Pontificem deceat fatua hæc et insulsa negandi ratio, quasi ei ignorare fas fuisset, eum censi diis sacrificasse, qui coram idolis thuris grana prunis combussisset.

Quinquaginta in quinque. Editi in tribus columnis, quinquaginta quinque, vel quinquaginta et quinque. Rectius ms. Colb. quinquaginta, scil. episcopi, in quinque testimonia, quia scilicet in actione prima primo unus solus, tum decem, postea tres semel, in hac autem altera alii quatuordecim testimonium bis interrogati dixerunt: ex quo quinque fiunt testimonia.

Cum anticipatis. Unus ms. anticipantes, alter anticipantibus. Horum corrector participantibus. Ex ms. Colb. in quo anticipatis, restituimus anticipatis, hoc est, prius memoratis.

Cum hos anticipantes. Unus e mss. cum his anticipantibus. Corrector, cum his præscriptis; et mox, omnesque uno examine.

Quam paulo. Sapphe, ante. Subjicit auctor noster, non induebas sutam: quod de tempore dictum, quo Marcellinus scissuram tunicæ nesciebat. Ab ejus autem mente aberrat corrector hunc locum sic exhibens: *Quapropter consue tunicam tuam, et quam paulo ante induebas sutam, conscissam consue.*

Ex-pontifex Romæ. Ita ms. Colb. cum altero in

vulgatis notato. Ex quo manifesta est in his actis pugna, utpote in quibus episcopi non suo ore Marcellinum, sed ipsinsmet judicio damnandum recantant, et tamen hic *ex-pontifex*, antequam se ipse damnaverit, vocatur. Quamquam unus codex simpliciter *pontifex* præ se ferre notatur.

Viginti octo... testes. Corrector, et viginti octo testium supradictorum. Mallemus et viginti octo testibus supradictis, scil. adstantibus. Unde tandem sublatum est incommodum, quo episcopi primo, ne simul in unum convenirent, prohibebantur: adeo ut sic trecenti episcopi, presbyteri triginta et testes quatuordecim uno in loco simul essent?

Unciæ in libra... sensus. Minus displicet illud correctoris, unciis libra: probabitur census.

Et lacera... quoniam. Longius et hic ab archetypis recedit corrector in hunc modum: *Et disjectam a te maceriem tuam ipse scrutare. Non enim nostro, sed tuo ipsius judicio condemnaberis, nostro autem testimonio excusaberis. Nihil time: quoniam.* Certe in totis gestis nihil est, quo Marcellinum excusatum velint.

In conspectu... in terra. Colb. ms. cum altero, ex ore synodi cecidit in terra. Alius, exhorres synodum, cecidisti in terram.

voce clara chirographum firmaverunt super Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros hi: Humanus, Capuanus, Castorius, Innocentius, Audax, Homophonus, Petrus, Quiriacus, Herculanus, Serenus, Johannes, Nepotianus, Cyprianus, Corporanus, Eusebius, Castinus, Victor, Matthæus, Spesindeo, Virus, Vincomalus, Collecticius, Valentinus, Priscillianus, Julianus, Lucianus, Castorius; et diacones isti: Hermes, Xystus, Petrus. Subscripserunt autem in damnationem horum quinque Urbani, Castorii et Juvenalis presbyterorum, et Gaii et Innocentii diaconorum.

15. In sinu autem trecentorum episcoporum caput cinere convolutus Marcellinus episcopus Urbis voce clara clamans dicebat: Peccavi coram vobis, et non possum in ordine esse sacerdotum: quoniam avarus me corrupti (corrupti) auro. Subscripserunt autem in ejus damnationem, et damnaverunt eum extra civitatem. Sacerdos nomine Helciadis episcopus subscripsit primus in ejus damnationem, non tantum

A tempore quod exigebat ordo, sed etiam futuri temporis. Quod etiam et ipse voce clara dicebat: « Juste ore suo condemnatus est, et ore suo anathema suscepit maranata: quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim umquam judicavit pontificem, nec presuli sacerdotem suum: quoniam prima sedes non judicabitur a quoquam. » Hoc autem audito, Diocletianus, dum esset in bello Persarum, audivit quod trecenti episcopi et triginta presbyteri et tres diacones in condemnationem convenirent. Dum subscripsissent omnes, ipse omnium primus manu sua propria Marcellinus conclusit in suum anathema, anathemati subscribens. Iratus autem Diocletianus in eandem civitatem misit, et multos episcopos ad martyrii coronam traxit. Factum est autem nihil aliud, dum B primo damnati fuissent tres presbyteri et duo diacones damnati. Damnatus autem et Marcellinus episcopus suo judicio x Kalendas Septembris Diocletiano VIII et Maximiano VII.

ANNOTATIONES.

Chirographum firmaverunt. Duo mss. chirographum firmum: deinde ex iis unus, Urbanum, Castorium, Juvenalem presbyterorum horum, alter, Urbani, Castorii, etc.

Futuri temporis. Addidit corrector, in exemplum: quod satis arridet. Observat vir eruditus, saltem postquam se ipse Marcellinus damnasset, synodi muneris fuisse, ut Romanæ ecclesiæ, ne diutius sacerdote destitueretur, prospiceret. Nihil tamen de alio in locum Marcellini subrogando actum: ac nullum ei subrogatum esse constat.

In condemnationem. Unus ms. in eandem damnatio-

nem. Alter, in ejus damnationem. Colb. in eo damnationem: unde restituendum duximus in condemnationem. Superiora autem verba, dum esset in bello Persarum, notat Baronius falsa esse, cum hoc anno xx imperii sui Diocletianus se imperio abdicavit, atque ante biennium de Persis superatis Romæ una cum Maximiano collega suo triumphum egisset. Putat igitur hæc et quæ sequuntur non esse ex actis concilii, sed eis postmodum in morem appendicis esse adjecta. Verum omnes codices, qui superiora exhibent, exhibent et ista. Neque mirum est auctorem, qui in tot aliis cespitat, etiam hæc in re labi.

SANCTUS MARCELLUS PAPA.

§ 1. — Quando et quamdiu sederit.

Post Marcellini obitum, ut ei successor deligere-
tur persecutionis tempestas non permisit. in Bucheriano catalogo Romana sedes tum vacasse dicitur vii annis, mensibus vi, diebus xxv. Sed ibi pro annis vii, Bucherius legendum esse opinatur annis iii, eamque correctionem necessario postulant consules quibus Marcellus pontificatum iniisse in eodem catalogo notatur. Et facile quidem pro apice i, nota numerica v irrepit. Unde sequitur, ut Marcellus anno 308, Maii xix die, quæ in feriam sextam cadebat, fuerit ordinatus. Tempus vero, quo is papa Ecclesiam administravit, laudatus catalogus sic designat: « Marcellus anno uno, mensibus vii, diebus xx, a consulatu x (supple Herculi) et Maximiano (leg. Maximiani vii), usque post consulatum x et vii, » hoc est usque in annum sequentem, qui post consulatum x (Herculi) et septimum (Maximiani) notabatur. Sed neque ex his quo die obierit, confici certo potest. Pagius, ad Marcellum papam referens quod in Hieronymiano

Martyrologio die vii octobris offendit; « Romæ via Appia depositio Marcelli et Marci episcopi, » illum anno 309, Octobris vii die ad cælum migrasse pro certo ponit. Sed Marcellum « via Salaria, » non « via Appia » depositum seu sepultum esse certius est. Sane in eodem Martyrologio ad diem xvi Januarii extat, « Romæ via Salaria in cœmeterio Priscillæ depositio Marcelli episcopi et confessoris. » Huic concinit Pontificalis liber Bollandianus ex codice reginæ Suecorum descriptus, in quo de Marcello scribitur, « Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, xvi Kalendas Februarii. » Ibi enim mendose ac forte librarii lapsu xvi pro xvii haberi colligimus ex altero ejusdem libri exemplari olim Fossatensi, nunc Colbertino, in quo « xvii Kalendas februarii, » non xvi, legimus. Immo Marcelli depositionem die xv Januarii notat Bucherianus depositionis Romanorum episcoporum indiculus in hunc modum: « xviii Kalendas februarii Marcellini in Priscillæ. » Huc quippe Marcellini nomen loco Marcelli irrepisse manifestum est. Neque vero insolens est duorum illorum voca-